



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Septiceps Lvthervs, Vbique Sibi, Svis Scriptis contrarius,  
in visitationem Saxoniam**

**Cochlaeus, Johannes**

**Parisiis, 1564**

De bonis operibus, cap. 8.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35803**



propositione iam tandem reuocata, per contrariam sententiam incompósitos populi mores effrenámque licentiam & in deuotionem, ad pristinum contritionis ac timoris Dei statum nouo libro reducere conetur.

## De bonis operibus.

## CAP. VIII.

## VISITATOR.

**T**ertius articulus Christianæ vitæ est, bona opera facere, vt est seruare castitatem, diligere proximum, eum iuuare, non mentiri, non fallere, non furari, non occidere, non apetere vindictam, non propria vi vlcisci. Idcirco, decem Præcepta iterum diligenter prædicari debent. In eis enim omnia bona opera continentur. **ECCLE.** An & tu de- *In li. Visit.*  
 num, sicut nostri excellenter docti Docto- *In 500 art.*  
 res, magistrare vis spiritum sanctum, vt di- *art. 42.*  
 cas cum illis, etiam bona opera pertinere *In Ser. Re-*  
 ad fidem, & fidem non sufficere ad salutem? *cumben. I. I.*  
 At hoc non est verum, quia fides sola, per se *&c.*  
 ipsam, absque omni opere, sicut diuinum ver-  
 bû sonat, facit nos saluos, & opera nihil omni-  
 no ad iustitiã aut salutẽ iuuât. **DOCT.** Ego *In serm. de*  
 autem longe aliter prædicaui olim de pœniten- *pœnitentia*  
 tia, & falsam istam opinionẽ à me reieci, dicẽs,  
 Omni studio debere nos de peccatis dolere,



DE BONIS OPERIBVS

confiteri, ac bona opera facere, sed ita, vt fides Sacramenti maneat principale bonum, & hereditas, per quam Dei gratiam consequamur, ac deinde multa opera bona faciamus.

*In 500. art.  
art. 34.*

*In Ser. ita  
Deus dile-  
xit mun. et  
cat.*

*In declara-  
tione qui rō-  
dam arti.*

**ECCLE.** At lux manifestum facit, quod omnia nihil sunt, & oportet nos solū Christum habere. Nam vbi est fides, ibi nullum nocet peccatum, quia facit nos Christo proprios & peculiare. **MAR.** Ego verò contra hanc doctrinam tuam, Ecclesiastes, me ipsum aliter declaravi, dum premerer absurditate quorūdam articulorum, qui ab æmulis imputabantur mihi. Dixi ergo, quòd nemo potest iustus esse, aut bene facere, nisi gratia Dei prius iustificet eum, nec iustificatur quis per opera, sed bona opera solū fiunt à iustificato: sicut fructus non facit arborem, sed arbor profert fructum. Et sicut Christus ait: mala arbor nunquam profert fructum bonum. Quapropter omnia opera, quantumuis sint bona & speciosa, si non profluant ex gratia, frustrà sunt: Non omnino frustrà, quia bona opera, extra gratiam facta, remunerat Deus temporaliter, diuitiis, honore, robore, potentia, gaudio, amicitia, scientia, intellectu. &c. Vitam verò æternam non consequuntur. **ECCLE.** Vis ergo, quod bona opera, in gratia Dei facta, vitam cōsequuntur æternā? **MAR.** Facile subintelligis ex iam dictis. **ECCLE.** At longè aberras, Martine, quia & optimū opus nostrum, quo putauimus à Deo gratiam auxi-

*In 500. art.  
art. 29.*



lium & consolationem obtinere, nobis in peccatum reputatum est, sicut ait propheta in Psal. 108. Et oratio eius fiat in peccatum.

*In Sermo.  
Recum. 11.  
In Sermo. de  
fraternita-  
tibus.*

**DOCT.** Sed multò longius aberras tu, Ecclesiastes, nosti enim quid debeat arbori inutili, non ferenti fructum. Rectius itaque docui ego populum, vt diebus festis maneant sobrii, orationibus & aliis bonis operibus, tempus redimentes: Sic enim recte colitur Deus, & sancti eius: Cùmque fraternitas debeat esse collectio specialis bonorum operum, indigne tuli, quòd fieret collectio pecuniæ ad com-

potandum. **L V T.** Ignorare videmini, fratres, quantis ego contentionibus & scripturis contra Eccium, contra Louanienses & Colonienses Theologastros, contra Latomum & alios, persæpe probauerim in bono opere

*In Resolutio. contra  
Eccium.*

peccare hominem. **S V E R.** At ego etiam contra Papam & omnes Papistas asserui, iustum quoque in omni opere bono peccare. Et si dicant, deficere quidem iustum, in omni opere bono, sed non peccare: Ego abundè probaui, hunc defectum vere peccatum esse.

*In assertio-  
ne art. 31.*

**V I S I.** Hæc nimis scandalosa sunt ad populum, qui per talia dogmata nimis securus fit, & intimidatus. Nam rudiores laici hunc altum sermonem non intelligunt: Pueri doceri debent ad scannum ingredi. **B A R R.** At ego decreui, obturare aures, ac cæca ingrataque corda, quæ solummodo causas quærunt scandalizandi se in me scandalis irretita dimit-

*In li. Vist.*

*In li. 3. con-  
Rusticos.*



DE BONIS OPERIBVS.

tere vt in eis computrescant : quandoquidem ex aliis libellis meis non sunt emendata S V E R. Vt ergo Visitator iste cum Papistis vniuersis magis irascatur, dico, Opus bonum etiam optime factum, esse veniale peccatum. Quinimò, vt vehementius irascatur,

*In Assertio-  
ne. art. 32.*

reuoco vel moderor hunc articulum hoc modo: Opus bonum optime factum, veniale peccatum est secundum misericordiam Dei, sed mortale peccatum secundum iudicium

*Vbi supra.*

Dei. V I S I. Absurdissima profecto sunt hæc: Nam bona opera non ideo solum bona dicuntur, quod in bonum proximi fiunt, sed ob id quoque, quod ea Deus præcepit. Quapropter & bene placent Deo, Neque placent Deo, qui ea non faciunt: sicut Micheæ 6. scriptum est, Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Deus requirat à te, vtique facere iudicium, diligere misericordiam, & in timore ambulare coram Deo. S V E R. Quid meum damnas, Visitator, articulum? damna illud Esa. 64. Et facti sumus immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. Et illud Eccl. 7. Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum & non peccet.

*In Assertio-  
ne art. 32.*

E C C L E. Quanto sceleratior es, tanto citius Deus gratiam infundit. Si autem adornes (vt catus) bonis operibus, vt te Deus acceptet, nihil efficies, quia scriptura Deum sic laudat, quod aufert peccata, & proiicit ea in mare. V I S I. Si sic proteruè contradicere

*In 500. art.  
art. 65.*

*In Serm. de  
piscatura  
Petri.*



pergitis, ego consilium, opémque Clementis-  
simi Domini nostri. Illust. Princeps implo-  
rabo contra vos. BARR. Principes, gladio *In Serm. de*  
duntaxat rem peragere volunt, nimis, proter- *Hierusalē.*  
uè irruētes in barbam Dei, ideo percutiet eos  
in faciem.

## COCLÆVS.

*Satis clare videbis hïc, (Illust. P.) quã variũ  
& mutabile semper fuerit mōstrum hoc septi-  
ceps, quo in ludibrium Germaniæ atque in  
ruinam animarum tam diu abutitur, te per-  
mittente, nequissimus humani generis inimi-  
cus: qui scit, hominem ad hoc creatum esse à  
Deo, vt per bona opera fructificet in vitam  
eternam, à qua ille per superbiam excidit.  
Scit vnicuique à Deo reddi secundum opera  
eius. Psal. 61. Rom. 2. & 1. Cor. 3. Scit arboreẽ,  
quæ fructum non affert, excidi, & in ignem  
eternum proiici. Matt. 3. & 7. Ideo tot iam  
annis per monstrificum hoc organum suum,  
bona opera perpetuò impugnat, donec eò per-  
duxit plurimos, vt absque timore Dei, absque  
reuerentia sacramentorum, absque bonorum  
operum studio, viuant in diem, sicut porci &  
pecora campi, in sola ventris & voluptatis  
cura occupati: quasi non aperte dixerit Chri-  
stus. Ioan. 5. Et procedent, qui bona egerunt,  
in resurrectionem vitæ: qui vero mala ege-*



rūt, in resurrectionē iudicij. Et Paulus, Colof.  
I. Vt ambuletis digne Deo per omnia placētes,  
in omni tempore, opere bono fructificātes, &c.

## De Oratione ad Deum.

### CAP. IX.

#### VISITATOR.

*In lib. Vifi.* **D**Ebent hīc Pastores & Concionatores ad-  
monere populum ad orandum. Impletio  
enim huius mandati secundi, est orare, hoc  
est Deum pro auxilio in nostris tentationibus  
implorare. Debent itaque docere homines;  
quid sit oratio, & quomodo orandum sit. Pri-  
mūm igitur docere debent, Deum præcepisse,  
vt oretur. Idcirco, sicut grande peccatum est  
homicidium, sic peccatum quoque est, nihil  
*In 500, art. à Deo rogare aut petere. E C C L E.* At nos  
*art. 39.* suprā iam diximus, orando quoque peccare  
*In assertio- iustum: Iuxta illud Psal. 108. Et oratio eius*  
*ne art. 32.* fiat in peccatum. *S V E R.* Et nos opus bo-  
*Ad Senatū num vel optimè factum, peccatum esse dixi-*  
*Pragens.* mus. *B A R R.* Sextum officium sacerdotum  
est, orare pro aliis: Christianis autē omnibus suis  
Christianis orationem illam dominicam tra-  
didit. Qua sola satis abundē probare & confir-  
mare possumus, sacerdotium esse vnū & com-  
mune omnibus. Rursūm, Papistarum sacerdo-  
tium esse merum mendacium, extra Ecclesiam  
Dei repertum: Quia maxime hinc sacerdotes